

Oratio de ancipiti medicorum fama, hujusque rei rationibus iniquis, ac de medelis in hanc rem adhibendis / [Evert Jan Thomassen à Thuessink].

Contributors

Thomassen à Thuessink, E. J. 1762-1832.

Publication/Creation

Groningen : J.H. Bolt, 1810.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fthr76wj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





A. XXXVI. 9/12
IV. 3. 6/12


51156/B











EVERARDI JOANNIS
THOMASSEN A THUESSINK,

A. L. M. MED. ET PHIL. DOCTORIS. ORDIN.
UNIONIS EQUIT. MEDIC. PRACT. ET
FORENSIS PROFESS. ORDIN. NO-
SOC. CLINIC. PRAEFECTI

ORATI

DE


ANCIPITI MEDICORUM FA-
MA, HUIUSQUE REI RATI-
ONIBUS INIQUIS, AC DE
MEDELIS IN HANC REM
ADHIBENDIS.

DICTA PUBLICE


DIE XI. OCTOBRIS C1810CCCX.

CUM

FASCES ACADEMICOS ALTE-
RUM DEPONERET.



GRONINGAE,
Apud JOANNEM HENRICUM BOLT,
Auctionarium & Bibliopolam, C1810CCCCX.



THOMAS A. J. JOHNSON
J. M. A. J. JOHNSON

A. M. A. J. JOHNSON, M.D.
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.
J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.

J. M. A. J. JOHNSON, M.D.



VIRO ILLUSTR
PRAEFECTURAM HUIUS
REGIONIS GERENTI.

N E C N O N

ACADEMIAE GRONINGA-
NAE CURATORIBUS,
VIRIS GRAVISSIMIS.

HANC ORATIONEM.

D. D. D.

A U C T O R.

VIRI ILLUSTRIS
FRATRE CAROLAM HUIUS
REGIONIS GERENTI
H. C. H. O. N.

ACADEMIAE GRONINGAE
HAB. CURATORIBUS
VIRIS GRAVISSIMIS

HANC GRATIAM

D. D. D.

AUCTOR

EVERARDI JOANNIS
THOMASSEN A THUESSINK,
O R A T I O

D E

ANCIPITI MEDICORUM FA-
MA, HUIUSQUE REIRATI-
ONIBUS INIQUIS, AC DE
MEDELIS IN HANC REM
ADHIBENDIS.

VIR MUNERIS DIGNITATE EXCELLENS HU-
JUS REGIONIS PRAEFECTE!

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES
VIRI GRAVISSIMI!


QUARUMVIS ARTIUM ET DOCTRINARUM
PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE
CONJUNCTISSIMI!

QUI REM SIVE PUBLICAM, SIVE SACRAM
MODERAMINI, VIRI ORNATISSIMI, PLURI-
MUM VENERANDI!

QUARUMLIBET ARTIUM DOCTORES, CON-
SULTISSIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CU-
JUSVIS CONDITIONIS CIVES, HOSPITES, AU-
DITORES EXOPTATISSIMI!

VOS DENIQUE LECTISSIMI JUVENES, SPES
PATRIAE, NOSTRA VOLUPTAS! Uti



Uti justa quaedam est cujusque hominis existimatio de se, ac de bonis, quae possideat, quae intra debitos cancellos comprehensa, ac veluti fixis limitibus circumscripta, ab ipsa natura commendatur, tamquam quae optime alat ac foveat studium humanitatis, et quasque actiones a generoso pectore oriundas; ita haec ipsa Philautia male intellecta, turpe velans vitium honesto nomine, quae solum intenta in sui studium, aliena omnia negligat, seque consideret veluti centrum, a quo omnia proficiscantur, ad quod omnia redeant, omnia accommodet ad unam peculiarem sentiendi agendique rationem, quaeque tandem omnia suo judicio subserviens, aliorum hominum voluntatem reclinet ad normam a cupidine praescriptam: Quantum mali in humanam societatem haec inferat, quantam significationem habeat mentis abjectae et depravatae, quis vestrum, A. A. non ultro intelligit. — Et tamen prohi dolor! quis ignorat, quam late perpsit haec Philautia ab aurea mediocritate deflectens in vita communi hac aetate; cujus rei tum alia sunt indicia, tum imprimis iste contemptus, quo illi, qui diversa in societate munia obeunt, in se invicem feruntur, quo efficitur, ut mutuae existimationi non fa-

fatis parcant homines, fibique invicem non praestent ea officia humanitatis, quibus labores et muneris incommoda sublevantur, et tolerabiliora reddantur mutuis praestandis officiis: contra vero arrogantia abrepti alii aliorum actiones quasvis dijudicent, et circa eas pronuncient, fibique denegent ea officia, ad quae praestanda, et naturae communio suadet, et sanctae Religionis praecepta adhortantur et incitant.

Atque haec cum ita generatim se habeant, quid porro mirabimur, quod illa quoque societas hominum, qui se dicarunt multarum aerumnarum fontibus praeccludendis, qui sanitatis tum publicae, tum privatorum quoque hominum tuendae, firmandae, restituendae, curam in se susceperunt, ab hominibus prava Philautia abreptis labem quandam contraxerit, neque a contagione hujus pestis immunes se praestare potuerit?

Perspiciatis jam A. A. quo dirigatur mea oratio. Cum enim ex more recepto susceptum munus Academicum, aliqua qualicunque demum oratione sim depositurus, cumque sermo ex adiutis nostrae artis petitus acceptus esse non possit, tandem cum primum hoc munus deponens egerim *de eo, quod Medicus in arte facienda imprimis agat*, deque iis dixerim, quae Medicum vere utilem, atque humanae societati acceptum reddant, neque ab hoc loco, neque a mea

persona alienum duxi oratione simplici ac populari
nostri ordinis causam agere, dicam igitur.

*De Ancipiti Medicorum fama, cujus rei rationes
iniquas enarrabo, ita tamen ut probe perspecto mali
fonte, medela quoque fiat parata.*

Vos autem A. A. O. brevi ac concinnae orationi
attentas aures et benevolas mentes adferatis, etiam
atque etiam rogo.

Atque hic mihi statim illud venit in mentem, quid
causae sit, quod hominum vulgus, dum raro que-
runtur de operariis, atque iis, qui mechanicas artes
tractant, puta fartores, textores, futores, aliosque,
circa solos medicos tam iniquam foveant opinionem,
ut hos dignos putent, qui culpentur, in quos severe
animadvertatur. Medicos dico: neque enim hic loquor
de iis, qui arti nostrae dedecori sunt, Pseudomedicis
vel Medicastris, qui, recte illud animadvertente
PLINIO (a), *aliorum periculo discant, experimenta
per mortes agant, et animas negotientur.* Nolo illos,
quorum culpa vel negligentia effectum est ut in *Me-
dicos in universum seu horum artem tot inepta ac in-
juriosa dicteria atque scommata a diversis fuerint pro-
lata, ut audito vix Medici nomine, avari, malevo-
li, nequitiosi, mendacis, fraudulentis, et gloriabundi*
ho-

(a) *Hist. Nat.* 25.

hominis nomen, plerique mortalium audire sibi persuadeant, et usque adeo quorundam Medicorum malitia in omnes, qui artem hanc profitentur, ex communi opinione translata sit, ac a pravis nonnullis artificibus in universam artem vitium transfusum, ut probus quisque et peritus Medicus ex Medicorum ordine deleri cupiat, et nonnulli etiam hos, tanquam rem perniciosam, republica exturbare maluerint, jusserintque. (b)

Satyras taceo et sarcasmos, quos MOLIERIUS aliique acriter in Medicos protulerunt, quos risui, contemtuque publico exposuerunt. Haec enim acerba, atque inhoneste dicta, non Medicam artem, non doctos, atque rite instructos Medicos, sed Medicastros et agijrtas, proprie respiciunt.

Quod si igitur attendamus ad rationem, qua Medici docti et habiles a multis tractantur, si acerba judicia reputamus, quae ab hominibus circa salutiferam feruntur artem, atque inde ad ipsos artis peritos transferuntur, cuique aequo rerum arbitro luce meridiana clarius patebit, multa injusta, atque inhonesta hic committi; quin et attendenti patebit, haec a vero tam longo intervallo remota esse, ut magis ab hominibus negligantur, ac recusentur ea officia, quae Medicus summo jure exigat ab aegro, cujus saluti prospiciat.

A 3

Sed

(b) BOHNIUS *de Officiis Medici, proemio.*

Sed video A. A. apertum campum, in quo si exspatiari vellem, dies me deficeret. Satis fit hic animadvertisse, artem ipsam sui praestantiam vindicare ab istis injustis reprehensoribus, nec tamen remoto horum damno et summa miseria.

Sed age, ex uberrima rerum copia feligamus quaedam ac veluti delibemus, ex quibus illud appareat omnibus, me Medicorum causam agentem, nec vanas proponere querelas, neque esse molestum aut morosum cavillatorem.

Et primo quidem constat, nullo tempore artem nostram caruisse reprehensoribus, qui et in illam, et in illos, qui hanc exercerent hanc gravem injuriam committere non sunt veriti, ut alicujus morbi sedula medicaminum administratione ac prudenti regiminis directione fracti, felicem successum, non Medicorum prudentiae vel peritiae, sed aut fortunae, aut viribus naturae tribuerent; contra eo impudentiae procescere, ut cujusque eventus finistri culpam in Medicum rejicerent; sed hanc maculam Medicinae adpersam, in qua recocta crambe a MOLLIERIO et aliis saepius offendimur, jam a summo Medicinae statore HIPPOCRATE Coo animadversam, ac paucis sed solide, pro more refutatam legimus. *Nudam fortunae speciem eos respicere ac sequi noluisse ex hoc apparet, quod se ipsos arti concediderint, quare a*
gra-

gratia fortuuae reddenda liberi sunt; ab eo vero, quae arti debetur minime se vindicare possunt, quo omnes ei sanitatem acceptam ferunt. In hoc enim, quod ei se commiserunt, ac concrediderunt, palam est ipsos speciem ejus esse contemplatos, vim vero ejus patrato opere cognoverunt. (c)

Deinde aliud commemorant sophisma, cujus quoque meminit C I C E R O *de fato* (d) quodque apud hominum vulgus neque hoc tempore destitutum auctoritate cognovimus: *Si fatum tibi est ex hoc morbo convallescere, sive tu Medicum adhibueris, sive non, convalesces. — Si fatum tibi est ex hoc morbo non convallescere, sive tu Medicum adhibueris, sive non, non convalesces.* Quam ignavam argumentandi rationem, quidam confirmare consueverunt rationibus, quas dicunt a Theologia defumtis, non videntes, quam mirifice vera et falsa confundunt ac permiscunt. Fatemur certe esse morbos quosdam tam graves, ut Medicorum eludentes operam et omni arte humana majores, certissime lethalem, atque funestum fortiantur exitum: Alios esse morbos, qui solis naturae viribus vincantur, et absque ullo Medicorum auxilio ad felicem perducantur finem; Verum relinquuntur

A 4 et

(c) *De arte* ed. LIND. pag. 3.

(d) *Oper. vol. V. p. 729. ed. ERNEST.*

et alii, atque horum numerus reliquos facile superat, qui ita sunt comparati, ut saltem pari fortuna vel in perniciem, vel in salutem tendere possint, et quorum eventus a sedula remediorum ac boni regiminis administratione prorsus dependeat, sed, relicta pressa argumentatione, hoc utamur: Quodnam responsum putetis, A. A. reportaturos esse eos, qui tam acute philosophantur, a gubernatore navis, cum ingruente gravi tempestate ejusmodi cavillationem fusciperent; vel fatum est navem tuam perituram, vel non! Si prius nautae oleum et operam perdidere; siu posterius, nec vela contrahant, nec antlias adhibeant est necesse; sed ventorum tempestate et maris fluctibus committant ratem animo quieto et tranquillo? — Percepistis horum hominum in ratiocinando acumen: et pro vestri ingenii sagacitate judicastis A. A. et quisquam vestrum dubius haerebit, num furente alienjus morbi tempestate, vestra salus committatur naturae fato remota medici, veluti gubernatoris, cura nec ne?

Sed abunde apparuit: morbum relinqui non debere naturae ductui; sed Medici periti et ab usu parati auxilium advocandum esse, cui competat judicium: num et quatenus activa quaedam morborum tractatio conveniat nec ne. Atque hic loci, cum sponte incidi in commemorationem activae morborum tractationis, intelligo quaedam a me adferenda esse ducta ab artis praecep-

tis

tis, per se plana, nec captu quoque ardua. Scilicet in morborum curatione aliquando ea incidunt, quae efficiunt, ut Medicus quid remittat ab industria et efficacia laboris: haec observatio, uti verissima est, ita quoque est gravissima, nec tamen quicquam continet, quod vertatur in dedecus et contemptum artis.

Nimirum ille apparens defectus efficaciae in laborando, qui in Medico nonnumquam cernitur, minime officit dignitati ac praestantiae nostrae artis, neque eam reddit supervacaneam. Corpus enim humanum, vel, si mavultis, integer homo artis nostrae objectum longe alia ratione est considerandus, quam qua consideratur bruta machina, solis Physiis legibus subiecta: non igitur existimatis A. A. eadem prorsus ratione, qua. v. c. horologium reparatur ab artifice, reparari reficique posse corpus humanum medicaminum usu; qui error quidem communis est, at crasus: Quippe hominis natura in hominibus individuis mille modis diversa deprehenditur; haec enim ex privo principio actiosa, ab externis rebus quibuscunque diverso modo adfecta, vi atque efficacia illius privi principii diversimode reagit in easdem res, a quibus adficitur, et juxta fixas ratasque, sed in singulis varia ratione inflexas, operatur leges. Has itaque agendi normas ac directiones tum in sanitate, tum in morbis Medicus investiget, accurate observet, ac dein vi-

deat, qua ratione natura his operationibus utatur; utrum hae incitandae, an vero, si nimiam efficaciam prodant, reprimendae et castigandae sint, an vero quaedam impedimenta sint removenda: atque in hoc naturae ministerio summum honorem, et maximam medici peritiam artis esse positam, merito pronuntiavit summus noster BOERHAVIUS.

Ne igitur quis existimet a quovis homine rudī, atque artis nostrae ignaro Medici cognitionem atque artis peritiam aestimari ac dijudicari posse, vel alicujus momenti esse commune hominum judicium circa bonam malamve methodum curandi: Cogitate mecum A. A. quaenam Medico qualem nobis jam animo informamus, scitu cognituque fiut inprimis necessaria: — Medicus non modo cognitam perspectamque sibi habere debet complicatam corporis humani fabricam, vi vitali propria agentem, et mente rationali conjunctam; sed et rationem habere immensae cujusdam varietatis relationum atque influxuum rerum, quae hominem ambiunt, cum eo commercium habent, quaeque in ipsius vel salutem vel perniciem operantur. Medico necesse est immensam a statu normali (vel omnium virium aequilibrio) aberrationem multiplicem, ac morborum supellectilem cognoscere, illarumque et indolem et originem perspicere, porro remediorum, quae huic statui tollendo inserviant na-

turam perferutari, atque illorum agendi rationem per-
noscere: Tandem Medicus his omnibus adjutus
non versatur in curatione morborum, uti mente et ani-
mo informantur, vel ut schola loquitur, detracta
cognitione non utitur, sed ejus opera requiritur in cu-
randis morbis hominum singularium. Atque in indi-
viduorum morbis tractandis curandisque mirabilis
quaedam obtinet diversitas, cum nec eadem diaeta,
neque idem remedium singulis, ad externam etiam spe-
ciem similibus conveniat morbis; Sed multum relin-
quatur Medici judicio et sagacitati pro diversa aegro-
tantium ratione, in quibus rebus infinita est varietas:
Quae omnia efficiunt, ut, me quoque tacente, quis-
que vestrum sponte intelligat, lubricum et fallax esse
de morbo, de aegrotantis statu, de eodem curando
ac de adhibita in morbo curandi ratione et medica-
mentis hominum imperitorum judicium.

Sed nec locus, nec tempus ferunt haec uberius per-
sequi: dicta autem sufficiunt, ut summo jure ita con-
cludamus: neminem secundum rei veritatem Medico-
rum circa aegrotos dijudicare posse agendi rationem,
nisi, qui artem didicerit, quique accurate ipsum illum
morbum, de quo sermo est, ejusque decursum attenta
mente fuerit persecutus.

Jam quaero a vobis A. A. nonne justa est quae-
dam Medicorum querela? Nonne arrogantiae et pro-
ter-

terviae quidam recte accusantur? Nonne injuriam et summam injustitiam committunt ii, qui cum artem nostram ne a limine salutarint, et Medicos et illorum sanandi rationes quotidie, dijudicent castigent, corrigant? Quemdam in hydropem incidisse ferunt: audiamus veluti gravissimam rationem! quia resolventia et sanguinem depurantia non data fuerunt Medicamenta. — Phthisis pulmonalis venae sectioni vel institutae, vel quoque neglectae tribuitur. — In febre intermittente Cortex Peruvianus vel nimis cito, vel justo tardius vel plane non fuit propinatus. — Ecce Matrona gravis, quae in pleuritide emeticum; Nutrix, quae purgans bono successu adhibitum numquam viderit. — Alius tandem, quae expedita atque necessaria non putat remedia obstetrix, adhibere neglexit. — Videtis, quibus rationibus, oppositis quoque, et inter se mirifice discrepantibus, Medici culpan- tur. — Scilicet ex uno aliove prae caeteris eminente sympto- mate, cujus rationem et nexum cum morbo homines ignorant prorsus et in quo tollendo hoc illudve re- medium bene cessisse sibi habent persuasum, omnem suam de Medicis rebus hauriunt cognitionem. At- que ex hoc lubrico sapientiae fonte perversam sibi fingentes morbi imaginem, de morbo ipsiusque recta curatione magna cum fiducia atque arrogantia loquun- tur, ac Medici docti probique famam tollunt ac per- vertunt.

Ali-

Alium Fontem injuriae erga Medicos aperiamus.

Scilicet si ad rationes attendamus, quibus moti homines Medicos vel eligant, vel quos elegere misfos faciant, fatis manifesta se obferunt indicia, non adeo illorum eruditionem et artis peritiam in censum venire, sed rationes externas et minoris momenti. — Hic Medicum quemdam eligit, quia plures, maxime ex sua gente eundem elegere. — Alter Medicum quaerit, qui aetate gravis experientia certissime didicerit. — Ab hoc advocatur Medicus, qui de curandis morbis quibusdam, vel infantum, vel foeminarum egregie meruisse dicitur, vel curandae hydropis, vel phthisis famâ celebratur. — Hic, qui novis subito movetur BRUNONIANAE scholae alumno mirifice favet: ille praedilectione prosequitur Medicum, qui asperius omnia nova reprehendere dicitur. —

Sunt, quibus mores externi, et vulgi rumores sufficiunt, quo minus Medicum expertem arcescant. — Quam vana et absona sunt haec omnia! Quam facile in omnium oculos haec, ut talia, incurrunt.

Famae celebritas, qua gaudet Medicus, nonne haec a rebus quam maxime fortuitis est suspensa?

Experientia in arte, et in curandis morbis et morborum generibus: haec profecto numquam sola aetate et rerum usu acquiritur; sed accurata cognitione, attenta naturae humanae observatione, et acri judicio comparanda est.

Me-

Medicorum discrepantes quaedam opiniones imperitorum rumoribus nec firmanur, nec convelluntur.

Quid mores externi ad mentem, et ad mentis bona, cognitionis, peritiae, sagacitatis!

Tandem nulli sunt Medici, qui peculiaribus morbis praecipue curandis valeant, quia omnes aberrationes a statu sano artissimo vinculo nexae et copulae sunt: unde, qui unum morbum, vel morbi genus rite enodat, explicet, vincat, eadem facilitate caetera morborum genera fit explicaturus. Quare hunc locum ita concludamus, ut pronunciemus, levissimas ob causas homines avocari ab hac fiducia experto Medico habenda, quod firmissimum est praesidium causae, quam omnibus viribus tuemur, *ancipitem esse Medicorum famam, et ejus rei rationes esse iniquas.*

Sed perpendamus alium et gravissimum fontem ancipitis Medicorum famae: nulla enim et arti nostrae, et artis nostrae cultoribus magis infesta causa est, quam judicium factum ex eventu: quod hanc habet significationem, casus finistros Medici ignorantiae vel malae curationi esse tribuendos.

Quodsi hanc calumniam propius intueamur, et veras causas aperiamus, quo minus morborum curationes semper succedant, statim apparebit, quam plurimas rationes remotiores esse a persona Medici, quam

ut

ut haec calumnia eum frangere possit. — Ut faciles simus, culpa non semper Medico est tribuenda, nam tum in ipsius morbi natura, vel gravitate, vel in aegrotantis conditione, vel denique in ipsorum ignorantia aut socordia, aut negligentia, nonnunquam in peioribus quoque causis sitae sunt rationes et numero plures, et momento graves, quo minus medendi ratio procedat; quas causas age breviter perlustremus, ne haec in favorem causae cumulasse cuiquam videamur.

Et primum mihi praesto est illa gravissima observatio, quam jam commemorasse me memini, esse multos morbos, quorum haec est indoles, ut artem nostram lacescant, et ejici se radicitus minime patiantur, ad quos v. c. retulerim quaevis vitia cordis et vasorum organica, Phthisin confirmatam, similesque, quos Medicus intelligens non adgrediatur medicamentis valentibus: Sed in quibus vita aegri tolerabilis reddatur, quantum ejus fieri potest moderando et tollendo symptomata.

Deinde sunt alii morbi, in quibus cernitur tam magna efficacia in naturae actione, ut haec nullis frenis cohiberi ac compesci se patiatur — alii contra, in quibus vis naturae prorsus deleta, ac penitus extincta reperitur, ut adeo, ad agendum, haec fuscitari stimulis, nequeat.

Porro quamplurimorum morborum natura tam abdita est, et abscondita in his, tanta inest symptomatum multitudo, illorumque confusio, ut fili vere Ariadne ne consultissimus inveniat finem.

Profecto circa naturam et causas saepius versatur in tanta caligine Medicus, ut quorsum se vertat, in quamnam partem indicationem dirigat, lateat quoque intelligentissimum quemque nostrae artis.

Tandem his difficultatibus Medico obmotis e natura rei accedunt aliae externae.

Penes ipsos aegros saepius res haeret, quo minus morbus ex genere quoque sanandorum intelligi sanarique queat.

Horum quidam mirifice sunt stupidi et morosi, ut adeo recte in hos invehat BOHNIUS noster, *haec interdum tam crassa et rustica offenditur, ut per eam hic Medici interrogata nec attendat, nec responso dignentur: quemadmodum alios adeo stupidos deprehendere licet, qui sibi persuadeant, Medicum vel solo sui, vel urinae obtutu cognoscere posse, quae et ex qua causa patiantur.* (e)

Alii ii praesertim, qui turpi morbo sunt adfecti aut qui nativum pudoris et verecundiae sensum iudicio regere non didicerunt, qui error communis videtur

(e) l. c. Pag. 131.

tur foeminis, morborum et causas et symptomata, et accidentia lepide celant: in quos vere CELSUS *Plerique propria culpa pereunt praesertim mulieres, dum pudore perfusae secretiores corporis affectiones revelare non audent; cum tamen necesse foret, ut liberius de his conquererentur.* (f)

Haud raro arti nostrae, non argumentis, sed rebus et factis, occurritur ab iis, qui scientes volentes de morbis eorumque causis narratiunculas effingunt, et Medicum de via deflectere jubent: quod saepius accidit in morbis nervosis, ab animi vehementiori quodam affectu, amore, ira, et similibus causis, oriundis. — Alii Medici judicium perturbant symptomata mentiundo, quod factum haud infrequens occurrit in Praxi Forensi; cum maleficorum astutia omnia arripit, quae ad poenam vel declinandam, vel mitigandam conducere videantur. — Quid porro enarrem alias causas quamplurimas arti nostrae infestas: — Quid commemorem quotidianas observationes obvias in curatione pauperum pigritia ac desidia laborantium: — Quid Melancholicorum et hystericis malis subjectorum perversas imagines, et exaggeratos sermones: Quid naturae perversitatem in genere contrario apud eos, qui apathiam praetendunt, ne videantur

B

aliis

(f) de Medicina.

aliis molesti ac queruli: — Quid plura cumulem? Perpendite enim A. A. et saepius vobiscum reputate, nullum esse genus vanitatis, stultitiae, atque perversitatis, quae in humanam naturam cadere potest, quod non negotium face scat Medico. — Ecce mihi ille homo quam anxie querit Medicum, cujus curam efflagitat, sed cujus praescriptis et diaeteticis et Pharmaceuticis non obtemperat: — En alium ruri degentem: hic omnes Medicos ambit, quos consulendi datur opportunitas; ab his et illis quoque petit praescripti cujusdam formulam: hodie sumit emeticum, cras catarticum, vel opiatum: alio die aliud remedium, prouti, in hoc perturbato morbi statu, Medicorum quisque conjecturâ aegroti conditionem assequi potuit. — Quid mirum, quod in hac inconstantia mentis curae subito pertaesae, in hac Medicamentorum farragine, vis morbi crescat constanter, et artem superet? — Sunt tandem, qui suprema negligentia Medicamenta ingrata plane negligunt: — Sunt qui praepostera conjunctione et remedia apta adhibent, et gulae aliisque cupiditatibus se tradunt: Sunt quidam peiores, qui sive praejudicatis opinionibus ipsi ducti, sive aliorum monitis allecti, inficiis Medicis, contraria adhibent, vel medicamentis diffidunt: Sunt parentes, qui amaros haustus et potus non propinant, ne liberis molestum quemdam sensum cieant: —

Non-

Nonne in nostro Nosocomio sub lectulis vel faccis recondita aliquando vidimus Medicamenta!

Et alia causa accedit tandem his, (nam video subsistendum esse,) atque haec certe gravior est, quam plerisque videatur. Non semper conceditur ipsis aegris aperire, quae sentiunt: Adfunt alii, adjutores, adjutrices, nutrices, quorum relationes saepius curam admodum molestam ac difficilem reddunt, atque id efficiunt, ut Medicus in errorem inducatur.

Atque haec, quae congesimus satis probant, quam injuste Medico tribuatnr culpa curae non feliciter succedentis. Idque egregie jam artis nostrae parens perspexit, cujus haec sunt verba, „*observare autem oportet*
 „*aegrotorum quoque peccata, per quae multi saepe*
 „*mentiti sunt, in assumendis his, quae ingerenda ex-*
 „*hibentur, postquam exosas potiones non accipientes,*
 „*aut pharmacis datis, aut alia curatione adhibita*
 „*peremti sunt. Et factum quidem hoc non ad ipso-*
 „*rum confessionem vertitur, verum Medico culpa im-*
 „*putatur.*” (g)

Jam transeamus ad aliud calumniae genus. Haec artem misfam facit, quo efficacius petat artis peritos, ac laedat, ac praesto quoque est iis, qui hoc calum-

niae genere utuntur, supellex dicteriorum, quibus probent, quo animo sunt adfecti erga Medicos, pessimum certe hominum genus ἀπαθεία tactos, morosos, taciturnos feroces, arrogantes, avaros, ut adeo nulla sit perturbatio, quae non invadat hos, ac penitus infideat.

Sed sponte intelligitis A. A. ab hoc loco et a mea persona alienum esse, stultitiae certamen inire cum istis, qui tam inepte garriunt. Sufficiat paucis vobis explicuisse, quid sentiendum sit de hac gravi criminatione, ne forte meliores quoque homines incaute his et similibus laqueis irretiantur.

Atque illud non magnopere miramur, quod isti calumniatores per ἀπαθείαν nobis objectam Medicos ad Stoicorum familiam invita rei natura traducant, quo impudentius eos injuria lacescant. Stoici enim multos veluti morbos in animo inesse tenuerunt, diligenter explicuerunt, illaque placita verbis, ex arte Medica desumptis, et a corpore ad animum traductis collustrarunt; a quibus neminem liberum pronunciarunt, nisi qui minime esset remotus a veri ac perfecti sapientis pulcherrima imagine. Quam ob causam nobis, qui a sapientia illa remotiores sumus, fatendum est, peritiam alicujus artis vel disciplinae, quemquam non immunem praestare ab imbecillitate humana, et communi naturae labe. — Nec tamen intelligimus, quid praesi-

dii in his infit tuendae atrocissimae istius calumniae, quae universam hominum Medicorum societatem omnigenis ac turpissimis vitiis inquinatam iisque subjectam pronunciet.

Sed videamus qualisnam haec res sit. Apathiae criminationem, non plane refugimus, quo nomine nihil aliud nobis volumus, nisi ut, qui artem nostram rite exerceat, mentem avocet ab iis perturbationibus, quae uberrimi sunt fontes praejudicatarum quarundam opinionum, artisque placita in usum convertat ratione et certo iudicio, quod nemo sanae mentes nostri ordinis hominibus vitio vertent.

Sed isti minime quoque vident, qua ratione dijudicanda ea sunt, quae sunt in habitu et consuetudine posita. Habituum et consuetudinis permagna est vis. Qui mechanicas artes tractant in gestu, in incessu, vel in ore ac vultu, in sermone produnt aliquid ductum ab arte, quam exercent. Neque aliter res est comparata cum iis, qui peculiariter disciplinas et doctrinas pertractant, in quibus haud infrequens cernitur peculiaris quidam idearum nexus, illarumque consecutio, quae vix eos fugiat, qui ad haec attendere didicerunt. Haec aliquando ejusmodi sunt, ut risum moveant aliis, sed ad contentum et ignominiam hominibus obmovendam vix vertuntur. Quid igitur causae calumniandi solos Medicos, propter ea, quae ex

illorum vitae genere ac muneris indole sponte fluunt, nec facile evitari possunt, quo minus in consuetudinem abeant, nec forte evitari debent. Quod ut luculenter appareat age considerate mihi Medicum, qui munere sibi imposito recte fungitur, et hominis sensa, cogitata, et universam vitae rationem mecum perlustrate.

Homo Medicus, artis, quam profitetur summae praestantiae atque utilitatis cognitione tactus atque imbutus, hanc certe maximi facit: idem vero amore summo ac desiderio erga alios naturae communione sibi junctos et devinctos homines fertur, tanquam eos, quibus utilis esse potest artis scientia — quibus utilis esse cupit naturae veluti instinctu — quibus utilis esse debet secundum praescripta rationis, quam remota affectus sibi relictus temere vagatur. Atque ex his veluti certis et fixis principiis spectandus est itineris cursus ac directio, quam sequitur Medicus, a quo nullo tempore deflectat, quam inflectat semper pro diversa ratione temporis, loci et conditionis eorum, qui ejus auxilium appetunt.

Medicus, insigniter benevolus, in vitae ratione instituenda hunc summum sibi proponit finem, ut aliorum vitam et sanitatem vel integram conservet, vel amisam restituat, atque hujus finis obtinendi causa permulta vitae commoda sibi denegat, corpus a qui-

ete

ete avocat, sanitatem negligit, quin et vitam saepius in discrimen adducit, aëris ac frigoris injuriis sese objiciendo, corpus somni deliciis subtrahendo, seque ad omnia patienda et toleranda confirmando. — Adspicite quaeso adstantem aegrotorum lectulis ac versantem inter medios morbos contagiosos, perferentem aegrotorum effluvia pestifera, ac veluti cum morte pactum ineuntem, quod quam doli sit plenum juniores Medici, eheu! quam saepissime! sunt experti: et quanam non patitur Medici animus, alienis malis onustus, sollicitudine pressus et excruciat, praesentium aegritudine adflictus, futurorum metu perculsus. Quis quaeso aequus arbiter eorum, quae in humana natura fiunt ac peraguntur, tanta est crudelitate, ut a Medico exspectet aliam quandam hilaritatem. nisi eam, qua tacite et sibi perfruatur e mente recte sibi conscia, et officii constanter peracti memore oriunda: Quis jocos et risus expromat ex ore ejus et vultu, et sepositam ab eo cupiat memoriam malorum, quibuscum et mens et corpus perpetuo sunt circumdata ac veluti obsessa?

Quam vere et ad rem accommodata loquitur summus humanae naturae perscrutator atque interpret
 SENECA Philosophus; „*Quodcunque ex duobus*
constat officium tantundem ab utroque exigit.” (h)

A 4

Qui

(h) *de beneficiis Lib. II. Cap. IV.*

Quae si vera sint, et fuerit haec verissima, quidni Medicus ab ipsis aegrotantibus et adstantibus expostulet summo jure, ut sibi condonetur, quod *gaudio non exsultet* atque in *apertos cachinnos erumpat*: porro, ut sibi liceat, aegris, utcunque morosis, non ita placere blandis alloquiis, ut sibi vehementer displiceat: ut, multa gravia et ardua animo perpetuo volvens, quae temporis et otii multum absumunt, declinet accensus frequentiores, propter quascunque aliorum corporis molestias, quas certissime cognoverit leviores, et sibi non deneget tantum quietis quantum exacte necesse est, ut vires exhaustae corporis et animi paulisper reparentur ac recreentur? Quis quaeso ei vitio veritat, ut sermoni parcat, sibi que non immisceat quibuscunque narratiunculis audiendis; negligenter respondeat ad quascunque hominum imperitorum quaestiones, circa morborum naturam et aegrotorum conditionem: nec cum his veluti consilium ineat de formulis praescriptorum: — ut sibi vehementer caveat, ne, multa narrando circa aliorum morbos et aegrotorum conditionem, in causa sit, ut quae retulerit male capiantur ab imperitis, ac perversè interpretentur; quo prudenti facto ab arte amoveat injuriam et obrectatoribus calumniandi ansam praeripiat? — Quid, quod ne altum Medici silentium circa exitum morbi accipiat sinistram interpretationem apud hos, qui ab exper-

perto Medico semel didicerunt, in morborum decursu multa extra humanam potestatem posita esse, ut adeo iudicium de cujusque morbi exitu, sit semper cautionis plenissimum, cum ejusmodi res saepe incidant, quae sunt nec penes Medicum, nec penes aegrum, atque efficiant, ut spe excidant vel intelligentissimi artis.

Si ad constituta principia exigatur Medica agendi ratio, apud eos, qui honestiore loco dicuntur nati, atque in lautiore conditione sunt positi, facili modo diluentur cavillationes aliae, quibus Medici quoque petuntur. Nimirum cum ejusmodi conditionis homines non sint erectioris omnes indolis, uti excelsiore loco sunt nati, aut lautiori fortuna utuntur; sed horum alii ab honestis occupationibus avocati et desidiae dediti, alii in pecunia paulisper insolentes, aut a muneris dignitate, qua circumdantur, superbiae et vanae gloriolae causas appetentes, haud raro accidit, ut a Medico et plura petant, et alia quoque, quam quae hujus officii ratio postulat. Quidam repetitas visitationes, quo nomine, sibi volunt peculiarem observantiam, exigunt; his confabulationes et multi ore Medici prolati sermones vehementer placent. Sunt qui multiplicem significationem curae susceptae ad levisimas eorum molestias corporis, veluti jure quodam praecipuo, a Medico extorquent. Alii tandem sed quid multa. — Per-

spicitis fatis A. O. altioris conditionis hominibus peculiariora esse quaedam vitia, quibus nisi se accommodet Medicus, grave est periculum, ne cujusdam infamiae maculam contrahat, five ferocitatis morum, five levitatis, five arrogantiae, five negligentiae, five avaritiae, five alius cujusdam gravioris vitii, prouti ea sunt, quibus potentia et opibus valentibus displicere possit, aut placere nolit. Hunc Medicus parcius visitat; ergo negligens est homo — hunc frequenter nimis adit: avari nomen audit. At per Deum immortalem! apud quos quaeso arbitros harum rerum iudicium est constitutum. An apud eos, qui non videant, quam inepte haec conclusa sunt, et quam contorte ad dedecus atque ignominiam? Quam frigida quoque haec calumnia est, quam saepius quoque Medicus audit. Quia nimirum, sibi temperat ab adfectu vehementiori, quia externis signis non manifestum reddit, quam gravem habeat morbum, quia ad quamque diei horam divitis aegri lecto non assidet, declaratur homo humanitatis sensu alienus, comitate destitutus, alienam miseriam non tactus, durus et ferreus, aliquando quoque hominem impudentem audit. At vero o bone! quam humaniter tecum agit Medicus, quam accurate te novit: quam prudenter veluti scientia praefagiente infausta omina a te avertit. Quod si enim vel levisissima suspicio periculi imminentis te

in-

infideat, videt te subito mente et cogitatione vehementer conturbari, totoque corpore commoveri, ore vultuque pallescere, ex imo pectore difficulter anhelare, artubus contremiscere, ac veluti fulminis ictu alto stupore opprimi, et ab hac iniqua diligentia lethali morbo corripì. — Discas igitur Medici parcimoniam maximi facere, tanquam cui perspectum fuit, pectoris tui angustias tantam personam non capere, quae mortem nec exoptet, nec quoque reformidet.

Requirimus certe in Medico, ut impositum sibi officium fortiter et candide impleat, omnem metum deponat, molestias ferat, morosos patiatur, alios juvet blandis alloquiis, et officia omnia praestet, quibus se aegris commendat, illarumque benevolentiam et favorem sibi conciliet, fiduciam augeat et confirmet: at tueri quoque peculiarem quamdam dignitatem et reverentiam, ob artis excellentiam sibi debitam, eundem jubemus. Sed ecce mihi interpellat iterum calumniator, ac veluti ab exemplo petit argumentum, quo commonstret Medicorum arrogantiam, illosque tanquam homines tumidos atque inflatos objurget. — Quibus equidem placide respondeo, nonne quaeque vitae conditio honestior in hominum confociatione habet quaedam externa, quibus se commendat, sustentet, ac peculiaris quidam honos, quo si careat, omnia confun-

funduntur ac permiscentur. Quod nisi mihi concedas, prospice, ne injustus tibi ipse videare, cum alios tibi aequales, alios vitae conditione infra te positos existimes, quosdam forte super te dignitate elatos. Haec igitur cum in vita communi apud omnes valeant, res eo redit, quo loco habendi sint Medici. — Profecto quidam elatioris conditionis homines eo impudentiae procedunt, ut nostros homines verbis et factis laedant, ac plane despiciant, ejusmodi exigendo officia, quae a solis famulis domesticis **exigi** debeant: omni hora praesto sint Medici, advo-
lent advocati subito, vigilant semper, et sic porro. Medicus hominum sanitati prospiciet, ditiorum, mediae conditionis, pauperiorum, quin et egeni ab hujis cura minime excludantur: itaque, ut alia misa faciamus, officii ratio Medicorum postulat, ut non necessaria minime praestet, et ad quaeque abjecta non descendat: atque haec tam vera sunt, ut qui ejusmodi inhonestis artibus et blanditiis, favorem et benevolentiam hominum conciliare sibi adgrediatur, nomen Medici non mereatur, neque omnes muneris rationes rite impleat: atque haec tironibus in arte nostra inprimis rite percepta volo.

Sed ex iis quoque, quae ad Medici officium certissime pertinere diximus, novam aliam calumniam effici a quibusdam reperimus. — Medici nimirum est

ho-

hominum cujuscumque conditionis salutem prospicere, ergo et aegrotorum et humilioris quoque conditionis hominum sanitatem non negligere. Quid inde? — Quam durum igitur et ferreum, inquiunt, hominum genus illud Medicorum, qui arcesfite ad palatia hominum divitiis adfluentium advolant statim, sed ad afflictorum preces et querelas vix attendunt, et opem ferre recusant. — Atque huic gravissimae calumniae, quam isti utique premendam censent, multa quidem habemus, quae opponamus; sed pressa argumentatione rem conficiamus. Ac primum quidem quaedam perfusa et commixta, caute sejungere et enodare oportet. — Vis ne tibi illud, fieri non debere a Medico, ut sit hominum honoribus et divitiis in civitate adulator? nihil est quod magnopere reprehendimus. Quin illum Medicum, qui humilioris conditionis homines negligit plane, ac deserit, iisque opem ferre recusat, pronunciamus honestum nomen mentientem, et arte abutentem, et ad lucrum convertentem. Sed ejusmodi hominem cordati nostrae artis periti Medicum, qualem mente informamus, non agnoscunt. — Sin vero hoc tibi vis, ut Medicus jubeatur omnes sine discrimine aegrotos visitare amota honestae mercedis omni spe, mox causa cadis propter duplex vitium: alterum adducto simili aperiamus. Nec justus est iudex, qui personarum respectu
uti.

utitur et potentioris cujusque hominis causae semper faveat — at injustus quoque est judex, qui quosque potentiores opprimit, ne videatur iniquus erga homines potentia non valentes: eodem intellige modo uti Medicus non est, qui artis peritiam consumit erga solos homines elatioris conditionis, ita in contrarium peccat, qui omne tempus et vires, et otium consumit, quo minus aliis possit esse utilis: mediocritas quaedam hic est adhibenda, videndum est non modo, quid personarum conditio, sed quoque quid rei natura ferat.

Alterum vitium alio modo in excessu quoque peccat. Quodsi, sine prudenti delectu, pauperes praefertim a Medico sunt curandi, quia hujus artis bona possidet: quidni tu, qui forte opibus abundas, tuas divitias omnes sine discrimine in commune conferas cum omnibus pauperibus: quare, si hoc non hominis misericordis, sed insanientis existimas, uti recte existimas: — Quidni et illud? confecta igitur res est. — neque Medicus omnium aegrotorum rationem habere potest: — neque praetermitti potest prudens quidam delectus, ut miseria quae a Reipublicae rectoribus plane tolli posse non videatur, fiat tolerabilis neque illam alia et graviora damna concomitentur.

Praeclusum ivimus multos fontes famae aucipitis

Me-

Medicorum: cujus rationes et varias et iniquas ostendimus: — restat ut justam querelam proponamus Medicorum erga hos omnes reprehensores — Quam multa et quam magna quidam a Medico exigunt morbo confecti, quam tenuis est enim de Medico laboribus et vigiliis et curis memoria ad sanitatem restitutorum! et ad quamnam legem parcimoniae exigunt grati animi sensa, et debitam remunerationem. — Atque hunc locum, ne videar tractasse invidiâ motus concludam SENECAE Philosophi longe aliter sentientis verbis. „ *Isto modo, inquit, ne Medico quicquam debere nisi mercedulam, dicis: adversus hos respondetur, quaedam pluris esse, quum emuntur. Emis a Medico rem inaeestimabilem, vitam ac valetudinem bonam. Quid ergo, quare Medico plus quiddam debeo, nec adversus illum mercede defungor? Quia ex Medico in amicum transeunt, et nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna et familiari voluntate. — Ille magis perpendit, quam Medico necesse est, pro me, non pro fama artis extimuit, non fuit contentus remedia monstrare, sed admovit. Inter sollicitos adsedit, ad suspecta tempora occurrit, nullum ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Gemitus meos non securus audiuit, In turba multorum invocantium ego illi potissima curatio fui, tantum aliis vacavit, quantum mea vale-*

„tudo permiserat. Hinc ego non tamquam Medico,
 „sed tanquam amico obligatus sum” (i)

Quae diximus sufficiant, ut causam peroratam dicamus: exsolvimus promissa, fontes praecipuos ancipitis Medicorum famae aperuimus, in illorum indolem penetravimus, characteres descripsimus: — constitit hos esse impuros et turbidos et certo certius praeccludendos idque sine magna difficultate fieri posse, ostendimus.

Medicum descripsimus esse, non qui omnes morbos curet, sed qui nulla ex iis praetermittet, quae ad sanationem praestandam requiruntur, atqui quatenus et qualia haec sint homo rudis atque artis nostrae imperitus, ne iudicet: — nec rei eventu sinistro iniquum imperitorum iudicium de arte Medica, atque artis peritis, ulla ratione fulcitur. — Quod si ab artis tractatione nulla peti potuit justa calumniandi causa, neque ab exemplo Medici, qui munere suo fungitur, uti decet ac par est, peti potest quoddam calumniae praesidium: aut enim haec, quae iniquus reprehensor arrépit sunt bona et consona praescriptis, quibus ars humanitatis et benevolentiae plena rite exerceatur, — aut per se sunt media suspensa a tempore, loco et personis, — aut sunt vaga et invidiae

ple-

(i) *De beneficiis. lib. VI. cap. 15.*

plena, non habita ratione Medici, quibus obji-
cuntur, sed ratione habita calumniatoris, qui suis ipse
laqueis impeditur atque irretitur. Quare everfis om-
nibus his rationibus, vel in ipsos calumniatores re-
tortis quid impediat, quo minus ancipiti Medicorum
famæ medelam allatam dicamus coram hac corona
Auditorum intelligentium et excultae humanitatis lau-
de florentium, qui et causam nostram vestro suffra-
gio jam comprobastis: atque omnibus viribus estis
nuituri adversus quosque reprehensores iniquos et im-
pudentes artis nostrae.

Transeamus ad hujus diei solemnia.

Supremo omnium rerum Arbitro gratias ago maxi-
mas, qui necessarias vires ad onus mihi impositum
sustinendum mihi largitus est: atque omnes, in
hac musarum sede docentes et discentes salvos prae-
stitit. Tu Deus O. M. cujus collata in nos benefi-
cia grato animo agnoscamus, nobis adsis propitius,
nostrisque conatibus benigne annuas, quo litterarum
decus, et gloria hujus academiae in dies crescat.

De Magistratu meo, non est, quod multis dicam.
Placidus mihi fuit et quietus itineris decursus prop-
ter juventutis academicae industriam discendique ar-
dorem, et propter eorum humanitatem morum et man-
fuetudinem, ut adeo ex nostris civibus nemo experi-

entia didicerit, quam gravis apud nos habetur legum auctoritas et reverentia. — Omnes collegae prospera fatis valetudine fruuntur. Venerabilis Rhoerius noster mortis periculo feliciter evasit. Uni ex nostri ordinis viris domesticum vulnus gravissimum inflictum novimus ac dolemus, at eundem in firmissima persuasione de Numine summa sapientia afflictorum mortalium res moderante id praesidii reperisse, quo fractum animum erigat, et ad aequabilitatem conformet, id vehementer laetamur, eique tamquam praecipuum bonum gratulamur

Atque haec fatis de rebus nostris domesticis.

Quae fuit rerum civilium conversio omnibus notum est, in qua id propius ad nos attinere intelligimus: hanc Academiam transisse in tutelam Francorum Imperatoris. Atque haec cogitatio efficit, ut te alloquar vir Excellens, qui in hac regione proxime summi Imperantis dignitatem tueare ac personam sustineas. Tibi igitur hanc Academiam commendamus, ut Imperatori praesenti commendassemus, Tu hoc nomine accipias, quae ei exoptamus bona: Conservet haec honeste parta gloria sub novis auspiciis, augeatur, incrementa capiat, omnibus bonis cumuletur. Quod autem haec bona summa voluptate atque fiducia tibi committamus vir Excellens! efficit singularis favor, quo litteras ac disciplinas persequeris: animus bene-

vole adfectus erga eos, qui has colunt et ornant: peculiare illud ingenium et sagacitas, quo perspicias, quam magna commoda ex his redundant in hanc regionem. Tu igitur nos favere insigniter pergas: nec committas: quo minus labores nostri in publicam utilitatem consumpti ignorentur. Deus Te, et Illustres hujus Academiae Curatores, vestrasque familias diu praestet incolumes vobisque conservet gratam memoriam illorum, quae contulistis et etiam nunc confertis, ut hoc palladium huic urbi conservetur apud eos, quorum maximi interest sua bona novisse.

Iam laetus et lubens fasces hujus Magistratus depositurus sentio quantopere vobis devinctus sim Collegae conjunctissimi, qui vestris consiliis et auxiliis semper praesto fuistis, pro quibus grati animi significationem vobis publice exhibeo.

Quid porro faciendum mihi restat: nisi ut ab Academico Senatu electum, et a summo Imperante in annum sequentem confirmatum Rectorem Magnificum Virum Clarissimum JANUM RUDOLPHUM VAN EERDE, *J. U. D.* et Historiarum Profesorem renunciem et proclamem. Quem agnoscere, ejusque auctoritatem debita observantia suspicere omnes, jubemus.

Cathedram jam adscendas vir Clarissime et a me hujus magistratus insignia benevole accipias.

Salve Magnifice Rector, cui primus hujus Magistratus honorem gratulor.

Accipe fascēs honoris hujus insignia — Album Academicum — legum codicem — Sigillum utrumque — claves.

Salve iterum, vir Clarissime. Faxit Deus O. Max. ut tuo sub moderamine Academia ampliora usque et usque celebritatis incrementa capiat. — ut hicce praefertim annus tibi omni ex parte sit felix et fortunatus, et studiis florentibus publicam expectationem pulcre sustineat atque tueatur, vincat Academia Groningana.

D I X I.



